



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Imago saeculi XVII. ad annum huius saeculi X. producta

Neuhusii Paderbornae, 1710

Annus 1609.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29436

solitus erat quot diebus septem salutationibus Angelicis venerari; ab ipsamet enim in morbo lethali ad ejurandam hæresin invitatus, sumptâ Eucharistiâ à Forneri suffraganei Bambergensis manibus, in nocte natalitia, sicut prædixerat, piissimè obiit.

ANNUS 1609.

Romæ mense Augusto excipitur à Paulo V. nova Legatio à Rege Persarum Xa Aba, cultum illi & obsequium deferente.

Sectarii per Germaniam, assumpto correspondentium vocabulo, arctissimo se mutuò obstringunt fœdere contra Catholicos, & unionem ineunt. Caput unionis dictus Fridericus hoc nomine IV. Comes Palatinus Rheni & Elector, Calvinò addictus cui ex heterodoxis adhæserunt propè sine numero. Contra hos ex adverso fœdus, quod ligam dixerunt, cudunt orthodoxi, impulsore potissimum Trevirensium Archiepiscopo Electore in ejus arce Ehrenbreitsteiniensi, multùm approbantibus opus tam sanctum Pontifice maximo & Rudolpho Cæsare. Caput Ligæ designatus Dux Bavarie Maximilianus, cui se fide constanti, magnisque animis adjunxerunt Archiepiscopi, Episcopi, Abbates per Germaniam præcipui,

cipui, dignissimi, qui memorentur, Moguntinus, Coloniensis, Trevirensis, Salisburgensis Archiepiscopi; tum Bambergensis, Herbipolensis, Wormatiensis, Spirensis, Eystettensis, Argentinensis, Osnabrugensis, Augustanus, Basileensis, Episcopi; denique & Fuldensis, Campidonensis; Abbates, cum magno Teutonicorum Equitum magistro, decora scilicet & firmamenta fidei Catholicae per Germaniam.

In Belgio finis tandem impositus bello durissimo tam diu; tamque atrociter gesto; Provinciae foederatae dictae liberae, & cum de pace perpetua conveniri non posset, pacis induciae in annos duodecim 14 Aprilis, quas & Rex Hispaniae ratas habuit mense Julio.

Dux Juliacensis sine haerede moritur. Nata inde de Ducatu contentio acerrima Brandenburgum inter & Neoburgum, eunte propemodum in factiones contrarias universa Germania, pro vindicanda portione terrae non magna illi parti, cui in Provinciam jus videbatur suffragari potius.

Iterum Carolus Suecus una cum copiis auxiliaribus Mansfeldianis a Rege Poloniae profligatur. Ab eodem caeduntur Moschi, & Smolenscum obsidione cingitur.